

O. A. M. D. G.
ASSERTIONES
EX VNIVERSA THEOLOGIA,

Q. V. A. S

AUTHORITATE ET CONSENSU
Reverendissimorum, Admodum Reverendorum, Magnificorum, Nobilium, & Clarissimorum virorum, Sac: Cæs: Maest: Consiliariorum,
Spectabilis Domini Decani, Venerabilium Seniorum, cæterorumque Dominorum Doctorum,
inclitæ facultatis Theologicæ.

I N

Antiquissima & Celeberrima Universitate Viennensi, pro
suprema ejusdem Theologiæ Laurea in Aula Magna Cæsa-
reo Academicci Collegij Societ: IESV publicè di-
scutiendas proponit
Mense iunij die 26 horis ante 8 pomeridianis

P R A E S I D E

R. P: HERMANNO HORST
e Soc: IESV SS. Theologiæ Doctore, ejus-
demque nuper Professore ordinario.

R. D. PETRVS VAUTHIER AA. LL.
& Phil: Magister, SS. Theologiæ Baccalaureus
formatus.

VIE NNÆ AV STRIÆ,
In Officina Typographica Matthæi Cosmerovij, S. C. M.
Typographi Aulici, in Aula Colonensi, A. D. 1652.



ILLVSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO
DOMINO DOMINO
JOANNI
MAXIMILIANO
COMITI DE LAMBERG,
BARONI in Ortteneegg & Ottenstain,
Domino in Stockern & Amerang, &c.

Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario Intimo, Camera-
rio, nec non Augustissimæ IMPERATRICIS Su-
premo Aulæ Præfecto, & nunc ejusdem Augu-
stissimi IMPERATORIS Legato ad
Hispanias deputato.

MEa hactenus sic direxi, Excellentissime
Domine COMES, gratiâ Tuâ,
meo debito, ut non dubitem jam quoq;
jussis Tuis meam Hispanico Oceano
committere naviculam, haud dubie ad
Insulas fortunatas appulsuram: Ete-
nim rerum agendarum rationes adeò imbibisti, ut Tuæ com-
missa directioni felicem semper assequantur portum. Ea de
causa, & Serenissimo prius Archiduci LEOPOLDO,
ac deinde Sacratissimæ Imperatrici MARIAE ELE-
ONORÆ summa cum laude & sapientia supremus ex-
titisti Aulae Præfектus. Hinc & ego in imminenti naviga-

tione neq; scillas, neq; charybdes, aut alios maris tumultus ex-
pauesco, Tuâ monstrante acu magneticâ, seu magis acumine
mentis, qui periculosa ac tumultuosa quæq; declinare, & com-
ponere posse Monasterij demonstrasti, ubi Sacræ Cæsareæ
Majestatis Legatus tot annorum ferocissimos belli tumul-
tus, & rerum susq; deq; euntium vicissitudines ac discordias
composuisti. Vnde Tibi universa gratulatur Germania,
& restauratæ pacis decus Tuis potissimum laboribus, sum-
mæq; adscribit prudentiæ, quæ juncta virtuti Te & nunc
pro Hispania Regnorum catholicissima, ac potentissima Cæ-
sareum pronuntiavit Legatum. Quare virtus Tua, &
omnium ore celebrata, mihi verò re comperta, singularis cle-
mentiæ fama, ad istam me confidentiam erexere, ut veritus
non fuerim, perquam humilis erga Te obsequij cultum publi-
cè qualicunq; hoc testari monumento, hasq; de DEO & tota
Theologia nomini Tuо dedicare, atq; itineri nostro præpone-
re Theses, & ideo vel maximè cùm à Iove Tibi semper fiat
principium. Has ut fronte serenâ, eaq; benignitate susci-
pias, quâ omnium animos Tibi devincire soles, supplex &
demissè precor. Age igitur, & eodem, quo clientes Tuos fo-
vere consuevisti sinu, me quoq; benignissimè conclude. Ego
interea à Deo Opt: Max: vitam, prosperitatem, ac nomi-
nis amplitudinem Excellentissimæ Dominationis Tuæ, Fa-
miliæq; Illustrissimæ LAMBERGIANÆ per seros
nepotes semper advovebo.

Illustrissimæ & Excellentissimæ D. T.

Devotissimus & obsequentissimus Capellanus

P. VAUTHIER.



EX PRIMA PARTE DIVI THOMÆ. DE DEO UNO ET TRINO.

I.

DEUS ita est ens omnium entium perfectissimum, ut etiam in se omnium rerum perfectiones contineat; ipsius esse, physicè loquendo, est *ipsum esse*: neq; enim de illo quisquam aptius loqui potest, quam ipse de se dicens: *Ego sum qui sum*. sub qua ratione considerata natura Divina complectitur omnia attributa, aliasque divinas tribus Personis communes perfectiones, solâ exclusâ subsistentiâ. Quod si verò eadem essentia divina consideretur metaphysicè, ipsa in intellectivo à se statui debere videtur; ita ut neque relationes divinas, neque etiam ipsa attributa includat formaliter. Porro si DEUM ut virtualiter intrinsecè distinctum considerare lubeat, eius natura virtualiter in actuali intellectione rectè constituetur.

II.

DEUS ita est unus in natura, ut sit etiam trinus in personis, inter quas, quia datur realis productio, & processio unius ab alia; etiam admittenda est oppositio & distinctio realis. inter alias perfectiones verò sicut hæc ratio non militat, ita etiam ab

B

illis

illis omnem removemus distinctionem realem, sicut & illam a-
liam à parte rei (qualis Scoto tribuitur) quæ, nemine cogitante,
in Deo sit alia, & alia formalitas. At verò distinctione, quæ vir-
tualis intrinseca dicitur, in divinis admittenda omnino videtur,
eamque dari inter naturam divinam & personalitatem filij, spe-
cialiter probat divinum incarnationis mysterium; inter alias
personas, ratio paritatis.

III.

Posse Deum clare, & intuitivè videri supernaturaliter ab intel-
lectu creato, & de facto ita videri ab omnibus, & Angelis, &
hominibus beatis, fide Catholica est tenendum. Extra fidem,
verò non videtur dari posse demonstratio, quâ positivè, directè
& evidenter ostendatur, & convincatur intellectus hanc Dei vi-
sionem esse alicui intellectui creato possibilem. Est ergo hæc
visio simpliciter & absolutè supernaturalis, ita ut nulli possibili
creaturæ intellectuali possit fieri connaturalis. Est etiam ita
spiritualis, ut nec oculus corporeus, nec sensus quispam mate-
rialis (saltem qui de facto est) possit etiam de potentia absoluta
elevari ad videndum Deum visione materiali.

IV.

Ad videndum itaque Deum, elevari debet intellectus per
lumen gloriæ, quod tamen non est adæquatum principi-
um, à quo solo ipsa visio beatifica producitur, nam ad illam eti-
am concurrit intellectus beati immediate. Species Dei impres-
sa ita videtur non implicare, ut ipsam dari de facto, quæ sit
ipsum lumen gloriæ, improbabile non videatur. Potest defec-
tus huius luminis gloriæ suppleri per auxilium extrinsecum
Dei concurrentis cum intellectu ad visionem. Intellectus spe-
cie vel individualiter perfectior causat cum æquali lumine visio-
nem specie vel individualiter perfectiore; imò si perfectior in-
tellectus creatus cum æquali specie impressa clariùs, distinctiùs
& intensiùs cognoscit cognitione naturali idem obiectum, quam
intellectus minus perfectus; tunc etiam cum æquali lumine glo-
riæ clariùs & intensiùs videbit Deum.

V. Non

Non implicat posse Dei essentiam videri absque eo, quod videatur ipsa relatio; unde videntur esse admittendae præcisiones obiectivæ, quoad affirmationem inter illa prædicata, quæ virtualiter intrinsecè distinguuntur: inter alia verò, quæ non distinguuntur virtualiter intrinsecè, non potest unum videri ex parte obiecti, non viso alio: inde tamen non sunt repellenda præcisiones formales; possunt enim dari visiones Dei, quæ non discernant omnes divinas perfectiones in Deo formaliter existentes. Deus est solus sui comprehensivus, ita ut absolute implicant, ipsum ab ullo intellectu creato posse comprehendendi; ex quo tamen non videtur clara ratio adferri posse, quæ cognitionem omnium possibilium in Deo implicare convincat.

V I.

Deum esse omniscium passim testantur scripturæ, cuius scientia (omissis alijs divisionibus) alia dicitur simplicis intelligentiæ, altera visionis, & tertia media sive conditionata. Prima terminatur ad res purè possibles, secunda ad existentes vel futuras, tertia ad conditionatæ futuras. Cognoscit autem Deus res possibles in seipso, & quidem cognitione perfectissima; unde etiam à fortiori cognoscit omnia, quæ actu existunt. Cognoscit insuper omnia absolute futura libera sive contingentia, per scientiam scilicet conditionatam simul cum voluntate efficaci, quam Deus habet ab æterno de ponenda aliqua conditione, sub qua prævidet actum liberum.

V II.

Tanta est infinita Dei bonitas, ut ille seipsum suaque attributa & relationes necessariò amet quoad exercitium. Bonitas creaturex existentis ita etiam amatur à Deo, vt aliquos actus complacentiæ habeat etiam circa creaturex possibles, amando appretiativè magis perfectiores. Voluntas Divina variè dividitur à Theologis, & quidem in voluntatem signi & beneplaciti, in absolutam, & conditionatam, in efficacem & inefficacem, & denique in antecedentem & consequentem. Liberi actus Dei non videntur melius posse explicari, quam si dicatur eos præter entitatem

tatem volitionis necessariæ etiam includere denominationem
Deo extrinsecam ab objecto.

VIII.

Nobis ita datur beatitudo dependenter & intuitu meritorum, ut ante illa nullo modo prævisa non possit, salvâ nostrâ libertate, fieri à Deo electio efficax ad gloriam; quod si tamen supponatur scientia conditionata, poterit de possibili Deus elegisse aliquos, aut etiam omnes absolute ad gloriam ante prævisa eorum bona opera & merita per scientiam visionis. Qui de facto salvantur omnes fuerunt virtuali vel formalí electione à Deo efficaciter electi ad gloriam ante prævisa eorum merita absolute.

IX.

Sive autem electio ad gloriam sit facta ante, sive post prævisa absolute merita, tamen de facto nullus est causa totius prædestinationis tam propriæ quam alienæ. Solus ergo Christus benedictus de facto est causa nostræ prædestinationis, qui probabiliter non modò divinitùs potuit, sed etiam de facto hos potius, quam illos determinatè elegit. Ex parte reprobi ita datur causa positivæ reprobationis, ut non possit Deus hominem destinare ad pœnam ut pœnam, etiam de potentia absoluta, independenter à scientia media; est tamen probabile quod hâc suppositâ scientiâ de peccatis, id possit ante scientiam visionis. De facto vero dicendum est nullam reprobationem tam parvolorum, quam adulorum factam esse ante absolute prævisa demerita.


X.

Trinitatis mysterium est, quod sint tres personæ, & vna tantum substantia. Dantur in Deo processiones reales, & quidem numero duæ, pro dualitate personarum productarum; vna est per intellectum, alia per voluntatem. Principium quo harum processionum est intellectio & volitio, illa Filij, hæc Spiritus Sancti; cuius ratio esse potest, quod verbum ex vi suæ processionis accipiat intellectionem Divinam, quæ est virtualiter natura Divina; Spiritus sanctus verò vi suæ processionis solum accipiat voluntatem, quæ non est virtualiter natura Divina. Filius non distingueretur à Spiritu sancto, si illum non produceret.

XI. DE

DE ANGELIS.

X I.



Ngelorum existentia sola ratione naturali demonstrari evidenter non potest ; eos tamen dari de fide est, ipsi nec adæquate, nec inadæquate sunt materiales vel corporei, sed purè spirituales & simplices : partim numeto, partim specie differunt. Ad seipsum cognoscendum non indiget Angelus distinctis speciebus à sua substantia, sed bene ad alios Angelos, & obiecta materialia cognoscenda. Secreta cordium independenter ab habente illa, non potest naturaliter & evidenter cognoscere, vti nec futura libera.

X I I.

Angelos inter se loqui, ratione constat & scripturâ, eorum locutio consistit formaliter in voluntate manifestandi, quâ positâ, Deus infundit speciem in audiente, quæ species non est immediate ipsius actus manifestati, sed voluntatis ipsius manifestandi. Possunt Angeli peccare, & quidem intra ordinem naturæ, quod etiam facere potuerunt in primo suæ creationis instanti ; vnde satis apparet eos natura sua esse mutabiles. Illi se-ipsos, nec alios à se, imò etiam ipsum Deum non necessariò semper amant.

X I I I.

Omnes Angeli fuerunt conditi in gratia, & exercuerunt in primo instanti suæ creationis aliquem actum liberum dilectionis Dei ; & hinc non immediate post instans fuerunt beati. Malos peccasse certum est, quorum peccatum fuit superbia ; nobis tamen incerta & indeterminata ; & hinc eos torqueri omnino credendum est, quod videtur fieri debere per qualitatem supernaturalem, ad quam producendam in illis elevatur ignis, in cuius cognitione consistit pœna dæmonum, quam consequitur fuga ex parte voluntatis.

EX PRIMA SECUNDÆ. DE ULTIMO FINE HOMINIS.

XIV.

Beatitudine formalis includit in se perpetuitatem, & dolorum parentiam, consistit essentialiter in visione, quamvis improbabile non sit, etiam amorem amicitiae ad ejusdem formalem rationem (licet minus principaliter) spectare. Odium Dei cum hac visione nulla ratione consistere potest. Quæ de facto est, necessitat ad amandam divinam bonitatem, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, impedit etiam naturaliter seipsa immediate peccatum actuale, ita ut per nullam potentiam possit cum ea cohærere; potest tamen per peccatum amitti. Ad illam conducunt actus humani, hoc est, boni, abducunt mali.

DE VITIIS ET PECCATIS.

XV.

Malitia formalis peccati commissionis, non consistit essentialiter in privatione rectitudinis debitæ in esse actui peccaminoso; neque etiam in perfectionis actus boni privatione, quem voluntas poterat & debebat elicere, dum elicit actum malum. Consistit ergo formaliter & adæquate in positivo; ex quo tamen nulla ratione Deum auctorem peccati arguere licebit. Aliquid autem non ideo dicitur peccatum, quia est contra legem prohibentem, nec etiam dicitur præcisè malum, quia est contra legem Divinam vel prohibentem vel iudicantem; est ergo peccatum tale malitiæ formali, quia est contra dictamen rectæ rationis.

XVI. Bo-

XVI.

Bonitas aut malitia objectiva, non bene constituitur per hoc, quod deducat hæc à fine ultimo, illa vero ad eundem conductat, neque etiam in hoc, quod objectum sit bonum secundum se præponderans omni malo, quod secum adfert & proportionetur dignitati naturæ rationalis ; vel etiam quod sit præponderans omni bono, quod secum adfert & sit improportionatum & contra dignitatem naturæ rationalis. bene ergo ratiocinaberis si honestatis objectivæ formalem essentiam in conformitate objecti cum natura rationali ut tali constitueris, malitiæ vero objectivæ in disformitate cum eadem.

XVII.

VNitas & pluralitas peccatorum numerica, universaliter loquendo, non videtur melius determinari posse, quam ex prudenti hominum judicio, & usu communi circa pluralitatem & unitatem actionum humanarum. Legislator potest rem præceptam ponere sub speciali virtute, non minus, quam votens per votum constituit rem aliquam sub virtute religionis ; unde tamen non sola diversitas specifica præcipientium eandem rem diversificat specie peccata, quæ fiunt contra illorum præcepta, sed solum quando præcepta sunt formaliter diversa, tunc etiam peccata contra illa erunt specie diversa.

XVIII.

Quod peccata non sint omnia æqualia, sed inæqualia, videatur esse clarum fidei dogma, quæ inæqualitas non videtur ex eo desumi posse, quod opponantur virtutibus nobilioribus vel ignobilioribus ; quamvis regulariter gravissimum contra virtutem nobiliorem sit gravius gravissimo contra virtutem minus nobilem. Nec etiam distinctio mortalis à veniali desunienda est ex voluntate DEI illud non imputantis prædestinatis, imputantis vero ipsum reprobis ; neque etiam ex eo, quod mortale sit contra præceptum aut finem, veniale vero contra consilium, aut medium, aut etiam præter legem ; distinguuntur ergo per hoc, quod unum sit graviter dissonum naturæ rationali, alterum vero leviter.

X I X.

PEccatum mortale non habet malitiam, offendit vel demeritum simpliciter infinitum; & tamen non possunt peccata venialia quantumcunque multiplicata adæquare vnum mortale. Actus incompossibilis cum adimplectione præcepti, sunt peccaminosi, si sint vel finis, vel medium, aut occasio omissionis culpabilis; illi verò, qui se habent merè concomitanter ad omissionem culpabilem, non sunt peccata. Omissio ergo tunc solùm imputatur, quando datur causa illius, quod non fit, quando illo tempore evenit, quo res non est amplius in potestate nostra.

X X.

PEccatum habituale non consistit essentialiter & determinatè in sola privatione gratiæ habitualis; sed in eo, quòd peccatum sit commissum, & pro illo non sit condigne satisfactum, neque à Deo sit condonatum; ita ut negatio condonationis sit etiam pars essentialiter constitutiva peccati habitualis. Peccatum verò originale (quod dari apud catholicos est indubitatum) nihil est aliud, quam peccatum Adæ, posteris non condonatum, & pro quo non est condigne satisfactum: nobis fuit liberum, non quidem libertate personali & physicè, sed moraliter & libertate capitatis.

DE GRATIA ACTUALI.

XXI.

Ratia celeberrimè dividitur in sufficientem & efficacem, quarum vtraque non differt in ratione principij, seu secundùm ipsam entitatem physicam auxilij, potest enim fieri, vt cum eodem auxilio convertatur unus, non item alter. Efficax habet infallibilem connexionem cum operatione voluntatis, quæ infallibilitas, non consistit in aliqua morali, longè minus in physica, prædeterminatione. Constituitur ergo efficax in actu primo formaliter per consensum sub conditione futurum; in ratione verò gratiæ & boni specialis per scientiam conditionatam & peculiarem affectum, ex quo Deus illam dat homini.

DE

DE GRATIA HABITUALI.

XXII.

Tutificatio hominis fit per qualitatem physice inhærentem, sine qua tamen potest Deus de potentia absoluta remittere peccatum mortale: potest etiam condonare unum sine altero, item quando actu fit, vel etiam antequam fiat. Gratia habitualis ex natura sua sanctificat, & expellit peccatum, quo non obstante, de potentia absoluta potest consistere cum peccato mortali; immo licet gratia esset formalis condonatio, & non posset consistere cum peccato habituali, posset tamen simul cum actuali.

DE MERITO.

XXIII.

Quilibet actus virtutis acquisitæ, sive naturalis in homine justo, est meritorius vitæ æternæ, ita ut dignitas personæ aliquando dignificet ad majus præmium, si hoc sit divisibile intensivè vel extensivè; si sit indivisibile, dignificat intensivè ad maiorem dignitatem. Nullus sibi meretur aut mereri potest primam gratiam actualē, nec meretur de facto sibi donum perseverantiæ; potest tamen de absoluta potentia mereri de condigno, ut amplius in peccatum non cadat, & hac ratione perseveret finaliter.

EX SECUNDA SECUNDÆ. DE FIDE.

D

XXIV.

X X I V.

Vndamentum virtutum Theologicarum fides est lumen intellectus, quo assentimur rebus à Deo revelatis: ejus objectum materiale est omne revelatum à Deo; & quia Deus etiam de potentia absoluta non potest dicere falsum, sic neque objectum fidei falsum esse potest, ita quidem, ut habitus fidei non possit elicere assensum circa objectum falsum, quod à Deo putatur esse revelatum. Fides ita est argumentum rerum non apparentium, ut naturaliter stare non valeat cum visione beata; si tamen supernaturaliter, & absolute loquamur, contrarium videbitur asserendum.

X X V.

Objectum formale fidei est ipse Deus, quatenus est prima veritas in cognoscendo & dicendo, ita ut ad id etiam formaliter spectet ipsa externa, sive passiva revelatio; quatenus nimis ipsa est, non mediatum, sed immediatum Dei verbum; & hoc non est necesse revelari unicus privatum credenti immediate, sed potest, & sufficit revelari solis principibus Ecclesiae; quod si tamen fiat sive privatum sive publicè, semper pertinet ad objectum formale fidei infusa, modo haec revelatio sit formalis; virtuallis enim non est objectum formale fidei.

X X VI.

Ad credendum fide divina, necesse est ita proponi objecta fidei, ut sint evidenter credibilia; non quidem evidentiā, quæ sit necessariò physica, sed sufficit, si sit moralis. In Ecclesia Dei debet esse necessariò aliquis judex, qui decidat controversias fidei, & habeat auctoritatem infallibilem decidendi; qualis esse non potest sacra scriptura, neque spiritus priuatus uniuscujusque: debet ergo esse homo vivens & quidem unicus in tota Ecclesia Dei, & tales nos dicimus esse & fuisse semper Romanum Pontificem, quem de fide est, etiam modernum Innocentium Decimum, esse verum successorem Petri, & Christi in terris vicarium.

X X VII.

Est autem fides substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium; ejus actus sunt omnes unius insimae speciei.

Habent

Habent etiam secundum se maiorem certitudinem, quam quicunque assensus naturalis, immo etiam supernaturalis, modo non habeat pro objecto formaliter perfectionem incretam. Omnis assensus ex motivo fidei divinæ elicitus, est supernaturalis quoad substantiam, unde fit, ut nullus actus naturalis possit hoc motum formaliter attingere. Actus explicitus fidei Divinæ de aliquo objecto revelato est medium adultis ad salutem necessarium.

XXVII.

Dari habitum fidei per se infusum, ita certum est, ut probabilius videatur esse dogma fidei; informatur charitate, non quidem physicè sed moraliter, unde aliquando datur fides informis. In adultis subinde infunditur habitus fidei ante charitatem; manet autem habitus fidei in animabus purgatorij, non item in damnatis, immo nec in haeretico, qui vel vnicam fidei negat veritatem. Huic virtuti opponitur infidelitas, quæ est judicium erroneum, quo intellectus vel positivè negat res fidei, vel positivè affirmat illi oppositas, supposita tamen earum notitiâ. Post Evangelij promulgationem recte dividitur infidelitas in paganismum, judaismum, & haeresim.

DE SPE.

XXIX.

 Objectum materiale immediatum & principale spei Theologicæ est tam beatitudo formalis, quam objectiva, secundarium sunt reliqua bona creata, quatenus aliquo modo nos ducunt ad beatitudinem supernaturalem. Ipsa etiam beatitudo alterius, potest esse objectum spei nostræ, quatenus aliquo modo ad nos spectat. Objectum formale est Deus ut auxiliator, à quo animus erigitur in bonum absens, arduum & possibile obtinendum. Habitus spei si propriè loquamur, in beatis non datur, sed bene in animabus purgatorij. Desperatio potest haberi sine infidelitate, immo non sperare potest esse licitum: qui enim certitudinem haberet antecedentem de sua reprobatione sibi à Deo absolute revelata, nec teneretur, nec

possit sperare beatitudinem, stante illa certitudine, quæ non videtur non posse absolute fieri à Deo.

DE CHARITATE.

X X X.

Primarium charitatis objectum materiale est ipse Deus, secundarium est proximus. Post Deum tenetur unusquisque Beatissimam Virginem Dei Matrem, & post illam seipsum appretiativè præ alijs diligere. Motivum formale est infinita Dei bonitas ut est in se. Omnes actus charitatis tam in patria, quam in via sunt eiusdem speciei, & supernaturales quoad substantiam. Ita certum videtur dari habitum charitatis, ut probabilius videatur hæc veritas esse formaliter revelata.

DE IVRE ET IVSTITIA.

X X X I.

Rerum dominium in genere essentialiter bene definitur, quod sit *jus disponendi de re tanquam sua*. Unum dicitur proprietatis, alterum jurisdictio- nis; jus vero unum dicitur in re, aliud ad rem. Dominium distinguitur ab usu rerum, etiam oarum, quæ ipso usu consumuntur. Omnis & sola natura rationalis est naturaliter capax dominij, unde parvuli ante usum rationis, & perpetuò amentes habent proprium dominium rerum suarum, quod idem dicendum est de religiosorum comunitatibus, non item de religiosis solemniter professis, & de servis ut servis.

X X X I I.

Objectum humani dominij sunt res sublunares, seu bona fortunæ. Iure gentium potest etiam libertas alicujus hominis licet cadere sub dominium alterius. Famæ & honoris sui unusquisque est verus dominus; non autem vitæ & membrorum, imò nec princeps aut respublica habet jus ad vitam subditi. Episcopi & beneficiarij sunt veri domini fructuum sui beneficij,

& ta-